HIERONYMUS
um 836/859 Seite 31r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38178
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek



mulacra, in uiis ait sororis tuae samariae uias
ambulasti. propter ea debes calicem illius bi
bere. cuius peccata sectata es; Calix autem
quod saepe accipiatur pro poenis atque
suppliciis. multa exempla sunt. de quibus
illud est: calix in manu domini uini meri ple
nus mixto. Et inclinauit ex hoc uerum tamen
fex eius non est exinanita. bibent omnes pecca
tores terrae. Et in esaia calix ruinae et
poculum furoris dicitur. Et ad hieremiam
loquitur Dominus accipe calicem uini meri de
manu mea. Et potiona bis omnes gentes ad quas
ego mittam te. et bibent et uoment et insa
nient; Sicut enim quaedam dantur ca
thartica ut noxius humor qui in est corpo
ribus egeratur. Sic et dominus dat calicem tor
mentorum meracissimum. ut quidquid fellis
et amaritudinis est auferat a peccatoribus.
et pristine eos restituat sanitati; Et ipse
calix erit profundus et latus. profundus.
poenarum magnitudine. latus tempore
captiuitatis; Quando autem ait inebriata
fueris et dolore comprehensa. et biberis calicem